Instabat iam Sanctissimum Paschatis festum, quo tempore sacram communionem omni cum devotione sumere maxime flagitabant Lyncei induto igitur Dominico sacco Caelingus et Illuminatus ambo ad sacram septem templorum visitationem religiosa se devotione contulerant, singulis in Ecclesiis post consuetas pro indulgentijs orationes addidere has etiam supplices, ut è tanto liberaret eos sub S. Joannis Evangelistae praesidio omnipotens Deus perduellium malo, ut parentes in saniorem mentem statueret et veritatem ijs ostenderet et quam obedire paratus esset contra sibilantium machinationes agnoscant. Addiderant vero toto huic sacro itineri et aulici quibus ea omnia quae summa cum devotione agebat in superstitionis sententiam vertere non pudebat, Tandem ut breviter dicam nihil erat quod carpere non auderent. Sequentes quoque dies omnes devotione expleverunt. Uno inter ceteras die ut saccis induti Confessionem adirent Dux ipsemet utrique Lynceo insecutus est, forsan quia ex aulicorum falso rumore opinabatur ita eos aufugere aut iter arripere quorum ut simul eos confessione occupatos vidit reliquit ipsique regressi domum reversi; Altero die qui Sanctae hebdomadae dies Jovis erat sacram Communionem cum universa Ducis familia accessere, ubi etiam ipsemet aderat. Uterque ibi precibus Deum omnipotentem oravit pro sua gratia ut eam largiretur Lynceis inter tot incommoda, Post sacram synaxim domum reversi, tranquillitas animi corporisque futura sperabatur. Verum nihil ea incertius. À prandio utpote dum Illuminatus ad vicinum adeundum templum viae se commisisset obviam se illi obtulit imberbis scurra qui credita suspicione plica heus tu dixit nomine tu Meer qui te Heckium appellas qui Caesio familiaris Marchioni Sum ego inquit ille, contra ipse vilissimus et plane sordidior invenis, profecto mihi male tractandus es eo quod amicum meum male tractasti, quem etiam nominavit hominem quem nunquam Illuminatus viderat nec alibi noverat, Jactabat praeterea etiam injurijs insolentissimus nequam, At Illuminatus discede inquit quaeso hominem quem ais non novi hic dies mihi sacer verba tua nulla hodie criminatione apud me propulsabantur; At nihilominus inclamabat ille insultissimo crebra scommata ululans has manus non effugies et quo vulneri mactaberis à me instar vituli confringam tibi cerebrum etiamsi Mars esses nisi sacer hodiernus dies esset poenas tuae mihi dares iniquitatis. Tacuit adhuc Illuminatus cum sacer communionis dies patientiam imperaret et taciturnitate daemonem eum sola evinci posse videret, famulus tamen qui illuminatum comitabatur haud ita patienter heri sui iniurias toleravit nam directis in ipsum manibus ut apprehendere voluit pugionem evaginatum sub pallio conspexit tunc territus eum reliquit et aufugit nebulo, Mox se domum contulit Illuminatus, in itinere obviam venit alius qui torvo eius vultu ita dixit profecto nisi à Ducis domo discesseris interficieris, cave ergo tibi et discede si vitae tuae consulere ipsemet vis, et hunc illuminatus praeter responsionem reliquit. et domum perrexit. Ante ducis portam vidit synerasio risu cachinnantem sicarium illum quendam qui scoptico paulo ante sermone aggressus eum fuerat, una cum Ducis cubiculario illo cui occultiora committebat negotia, Res ea argumento fuit Monsu ducem ei laqueum eum